F. PETRI LVCII

BRVXELL. CARMELITÆ DOCTORIS THEOL.

DE FLORENTIAE CIUITATIS ORIGINE, Mediceæ familiæ nobilitate, & Equestris statuæ Cosmo Medici magno Etruriæ Duci nuper Florentiæ dedicatæ laudibus,

Carmen Encomiasticum.

FLORENTIÆ.

Apud Hæredes Iacobi Iuntę. 1594.

Cum licentia Superiorum.

PERQVAM ILLVSTRI ET ERVDITO VIRO AC DOMINO, D. ALEXANDRO PACCIO, ABBATI S. SALVATORIS IN THAONA DIOECESIS Piſtorienſis, Equiti S. Stephani, Metropolytanæ Eccleſiæ Florentinæ Canonico, & Magnę Etruriæ Duciſſæ à Secretis & conſiliis & c.

F. PETRVS LVCIVS BRVXEL. CARM. S.P.D.

NVPER admodum, Vir clariſsime, dum læti, & amœni Veris tempore animum meum ſtudiis Theologicis & Hiſtoricis vtcunq; defeſſum aliquo iucundo exercitio recreare decreuiſſem, oblata occaſione, breue quoddam Poema ex tempore condidi: quod cùm quidam auidius expoſceret, partim quò eorum votis parerem, partim etiam quò erga Amplitudinem tuam aliquod beneuolentiæ ſymbolum oſtenderem, typis euulgaui, tuiq; nominis Amplitudini dedicaui. Exiguum ſanè, fateor, & pluſquam leuidenſe munus, ſi hoc quod eſt, & non quod ſignat, ſpectetur. Cæterùm quoniam ea, etſi vilia, dare, quæ ſeſe prima fortuna offerunt, etiam magni animi viris gratiſsima fuiſſe cognouimus (exemplo ſunto Alexander Magnus, Philippus Macedo parens, aliiq; præſtantiſsimi, quibus panis cibarius ambroſiam, tepidæ & turbidæ aquæ hauſtus nectar ſapere viſa ſunt) ſic ego exiſtimo meum hoc qualecunque tandem munuſculum pluſquam cartaceum Amplitudini tuæ haud ingratum futurum: Quod vt credam, facit vnum illud atque alterum inter nos habitum colloquium; adeò

vt mecum subinde reuoluerem Socraticum illud, Loquere, vt te videam. Ex eo, inquam, colloquio facilè mihi perspicere licuit, quanta prudentia, pietate, quanta deniq; ingenii benignitate, comitateq; præditus sis: Nam, vt dicebat quidam, Animi speculum est oratio.

Altera subest dedicationis ratio, cùm certo certius, veroq; verius sit, olim quosdam ex vetustissima nobilissimaq; Pacciorum familia ea loca, quæ quondam magnus ille Elias Thesbites, eximius Dei Propheta, vnicusq; meorum Carmelitarum Patriarcha (vt eum doctiss. D. Ioannes Molanus Canonicus, almę Vniuersitatis Louaniensis Decanus & Cancellarius supremus in Annotationibus ad Martyrologium Vsuardi ad 17. Iunij vocat) perambulauit, miraculorum gloria illustrauit, Terram, inquam, sanctam, sanctissimo sanctissimi Agni, hoc est, Christi Iesu, sanguine sanctificatam, & à primarijs illis Carmeliticis viris Apostolorum coadiutoribus, fide imbutam, Christiana disciplina instructam, sedulò perlustrasse, piè inhabitasse, & exinde Florentiam vsque lumen sanctum à sanctis lampadibus sepulchro Christi appensis iugiter ardentibus sumptum detulisse, quod in hodiernum vsq; diem in perpetuam rei tàm sanctæ memoriam magnis impensis, & ingenti cura perpetuò ardens seruatur: quo detur intelligi, inclytam Pacciorum familiam non minus lumine auitæ nobilitatis, quàm piæ & Christianæ charitatis ardore accensam, eximiæq; virtutis splendore micantem, æternæ laudis gloriam vbiq; terrarum promeruisse. Vale vir prętantissime. Florentiæ, ex Carmelo nostro, Calendis Iulij, Anno partæ salutis 1594.

DE FLORENTIAE VETVSTATE, Mediceæ familiæ nobilitate, & Equestris statuæ dedicatione, Carmen encomiasticum.

Fesuleis subiecta iugis, (vbi Lucius olim
Qui & Catilina, inter medios fortissimus hostes
Fortiter occubuit) iacet vrbs antiqua potensq;,
Diues opum, ingenijs fœlix, gratissima cunctis
Cœlicolis, celsis passim quibus ardua muris
Templa, ara, statua, fumo decorata Sabæo.
Prisca Fluentinam hanc vrbē appellauerat ætas:
At modo mutatis mutataq; nomina sæclis.
Italiæ florem vulgus vocitare solebat,
Hinc merito à cunctis florens Florentia fertur.
Annales perhibent eius primordia Syllæ
Temporibus fundata super vada fluminis Arni.
Nam Syllana cohors agrum hunc sortita, colebat:
Fesuleiq; locum tandem excoluere frequenter
Limina liminibus iungentes, tectaq; tectis.
Hinc enigma: Parens senior, sed filia maior.
Totila Gottorum princeps ductorq; malorum
Lerna petens Romā, hanc vrbē populatur, et ingens
Passa malum, multis iacuit sine mœnibus annis,
Quam Cæsar Carolus dictus cognomine Magnus,
Orbis vt Imperij lætus suscepit habenas,
Romulea ex Urbe huc rediens, miseratus, honorē
Pristinum et antiquum reddit decus. Inclyta rursū
Facta, diu pacem coluit, titulisq; virisq;
Exornata, suum decus est tutata, virorum

Fesulæ, ciuitas antiquissima, mōti imposita, ad cuius pedem sita est inclita Florentinorum ciuitas. Lucii uerò Catilinæ & eius interitus meminit Salustius in sua Coniuratione.

Fluentini populi meminit Plinius lib. 3. cap. 5.

Italiæ Florem. Quidam à Cosmo Medice interrogatus quidnam sibi uideretur de Florentinorum regione, is respōdit meritò dici eam esse Italię florem. Cui Cosmus: Vtinam & flos & fructus!

Syllana cohors. Syllanorū militū aduentus incidit circa 667. annum Vrbis conditæ, ante Aduētum Christi 86.

Totila Gottorum. Totilæ in Italiam aduentus fuit circa annum Domini 547.

Cæsar Carolus. Circa annum Domini 802. muros ciuitatis restitui curauit. Tandem anno

1024. Florentini ui & armis omnes ferè Fesulanos ciues ad se pertraxerunt.

Clara parens clarum. Claro de cespite clara
Stirps Medicæa nitens, vetus et præclara propago,
Tot titulis decorata suis, nostro indiga plectro
Non est. Mæonijs fidibus celebranda, cothurno
Altiloquo Ascræi Vatis celeberrimi, ad astra
Extollenda animi uirtus, genus, arma, togaq́.
At genus, arma, togas alij cecinere. Quid ergo
Iam superest? (Musa, inquit) abi, nã operaq́ oleũq́
Ludis, & in ventum fugiet labor. An tua Clio
Nescia quod doctos aluit Florentia vates,
Atq; alit? hos plenis stirpem hanc extollere buxis
Sufficiat; Patriæ Patres patria ipsa celebret.
Adde quod ex illa veluti vnda e fonte perenni
Tot clari virtute viri micuere per omnem
Italiam. Cunctos breuibus connectere verbis
Non potis est tua parua Chelis. Primũ inclita tellus
Etrusca hoc splendore diu gauisa, refudit
Per populos claros radios. Terra omnis ab illo
Lumine lumen habet, velut à Titane minora
Sydera, quæ rutilis exornant æthera flammis.
Roma potens Petri vidit clauumq́ ratemq́
Iam dudum rexisse duos. Redimita Galero
Tempora purpureo plures. Florentia quartum
Illustrem mirata Ducem, trahit otia pacis.
Otia pacis amat plebs & cum plebe Senatus
Gaudet ouans, miratur amans. Ducis inclyta corda
Suspicit, & longos huic optat Nestoris annos.
Plura vetor modo sola loqui. Chorus omnis, Apollo
Musarum Præses, nos hinc vrgetq́ vocatq́.
Pone sequi si forte velis, iter ipsa docebo.
Musa ita fata abijt, leuibus per inania plantis.
Dum fugit, auditur strepitus, sonitusq́ per altas

Iam dudum rexisse duos. s. Leonem X. & Clemẽtem 7. qui ambo fuerũt ex Mediceorum progenie.

Auditur strepitus.

Tem-

Templorum turres, raucumq́ per aera bombum
Displosæ immisso Bombardæ puluere spargunt.
Obstupeo, miransq́ fores resero atque fenestras:
Audio & in vulgus murmur, iuueniliter omnes
Exultant: Palle Palle per compita clamant
Virq́ nurusq́ omnes, Palle Palle omnia passim
Ora sonant. gestit mens percunctarier ob quid.
Lætitiæ extemplò tot sint exorta per omnes
Signa viros. Aucta est, aiunt, Ducis inclyta coniunx
Prole noua, fœtuq́ nouo. Noua gaudia proles
Mascula vix nata, en natum dedit ipsa triumphū.
Addunt: Prolis auus conscendit terga ferocis.
Sic populus. Mecum dubio sub pectore voluo
Quid sit: Prolis auus conscendit terga ferocis.
Hoc enigma diu torsit mentemq́ animumq́.
Dumq́ forum fido socio comitante peragro,
Instar montis Equum cerno. Vestigia figo,
Attonito similis timeo metuoq́, fugamq́
Dum meditor, dixi: Sessor nisi lora peritus
Traxerit, & frenarit Equū; facto impete cunctos
Obruet, & latis pedibus soleisq́ repentè
Ferratis teret hanc turbam. fatum omnibus vnum
Imminet, ante pedes posita est mors omnibus vna:
Sic ego. At astantes pauidum risere: Putasne
Viuat Equus? veros credis te cernere vultus?
Falleris: è nitido sunt hæc fusa ora metallo,
Artifici conflata manu. Spirare videntur,
Vitalesq́ auras agere, Et tepido vndiq́ vena
Sanguine creduntur tumidæ, vestigia verè
Ponere, & alternis pedibus glomerantibus ire.
Ipse Myron laudaret opus, laudaret & vltrò
Se vinci tacitus, superariq́ arte Lysippus

Incidit hoc in Annū 1594. die 14. Maii Sabbatho post Dominicam 5. post Pascha, de mane.

Palle, uox est Italica quæ Latinè pilam significat, alludens ad insignia Mediceorum.

Prolis auus. Is fuit Cosmus Medices, moderni Etruriæ Ducis pater, cuius ærea statua paucis post Ducissę partum horis, æreo Equo imposita fuit.

Bis sex ventre viros celauit bisq́; viros sex.

Myron & Lysippus duo fuere præstantissimi in fun-

dendis statuis ex ære, quorum postremus insignem quandam statuam Alexandri Magni conflauit.

Diceret, in tantum est imitata ars cunctiparentem
Naturã. Ast Equitis sunt hæc ne, inquã, ora potẽtis
Pellæi iuuenis? facies Mauortis? Achillis
Vultus, an Alcidæ? cuius quæ cernimus ora?
Hæc, aiunt, sunt ora Ducis cui nomina Cosmi

Magni cognomen. Primus Dux Etruriç fuit Alexander Medices, secundus Cosmus, cui primùm Magni cognomẽ à Romano Pōt. inditum fuit.

Cosmipotẽs dederat. MAGNI cognomen vt omen
Sortitus primus, clarus belliq; domiq;.
Romulidis placido protendit lumine vultum
Pacificum, Turcis baculum, quo significetur,
Seq; suosq; fore ignauis Christi omnipotentis

Fernandus. pro Ferdinandus, Quartus Etruriæ Dux, qui hodie rerũ potitur.

Hostibus intrepidos hostes. FERNANDVS auidus
Et Patris cupiens nomen, patriumq; decorem (tum
Ore, manu, ingenijs, opibus, pietate, fideq;
Reddere perpetuum, posuit monumenta futuri
Temporis. At melius facit hoc pietatis auitæ
Hæres: vsque pij Patris pia dicta sequendo.
Nam æs nitidũ, marmor rigidum consumeret ætas:
Sed pietas, vitæ integritas subiecta ruinis
Non sunt. astra ruant licet, immota ista manebunt.
Sat super his. Opifex, dixi, quis condidit istud
Tantæ molis opus, tam clarum, tam admirandum?
Respondere: Operis tam clari Belgicus autor.
Belgica (vulgò Italis vocitatur Flandria) talem

Bolognius. Cognomen est statuarii Ducis Etruriæ: uocatur autem uulgo Ioannes de Bononia, Flãder natione: siquidẽ natus est Duaci, qđ est oppidum celeberrimum Flandriç Gallicanæ, distans à Bruxella itinere duorum dierum.

Protulit autorem, veterũ æmulum, in arte peritũ.
Nomen scire licet? licet. Estnè Bolognius? Ipse est.
O charum Patriæ ciuem. Tu clara Duaci
Gloria, & ex actis, artisq; peritia in omnem
Italiam tua fama volat, tu notus Iberis.
Ortus & Occasus, Boreas te nouit, & Auster.
Macte, decus decorare tuum, tua gloria cælo
Proxima, vbi æterna laudis tibi meta reposta.

FINIS.

MC